



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

70. An Confessarius sit denunciandus, qui concubinam in confessione de
Zelotypia arguit? Ex part. 4. tract. 5. res. 43.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

enim simul cum dubio & levitate referentium referri debet. Ita ille, & Oskavian. Spatharius in praxi de modo corrigendi Regulares, tract. 5. cap. 11. num. 4. sic ait. Nullus tenetur denunciare quod auditum tantum percepit, excipio tamen casus in quibus vel ob gravitatem delicti, vel ob alium dignum respectum Prælati præcipiunt denunciari ab omnibus etiam qui audierint, etsi aliter non sciverint. In quibus casibus contra Rodriguez dico, subditos teneri ad denuntiandum, quæ audierint à quibuscumque, nec ad illos pertinet discernere, an à viris bonæ famæ audierint, necne. Sed Prælati illud esto iudicium & onus, qui sic præcipit. Ita Spatharius, quæ omnia à fortiori procedunt in casibus pertinentibus ad sanctum Officium, in cuius edicto absolute & sine ulla distinctione præcipitur sub excommunicatione, ut si quis sciverit, vel audierit delicta in illo edicto contenta, Inquisitoribus denuntiet. Igitur si quis audierit Confessarium aliquem fœminam sollicitasse, tenetur illum denuntiare, nec ad illum spectat discernere, si ille, à quo hoc audivit, sit bonæ famæ, vel levis conditionis. Adde, & hoc est maximum argumentum, quod, ut patet ex c. in fidei favore, de hæret. in 6. in S. Officio contra reos admittuntur testes aliis inhabiles, ut excommunicati, criminosi, infames, perjuri, &c. & hoc quia crimen hæresis, vel illam olens, est ira grave, & perniciosum Reipublicæ, ut merito in ejus detestationem tales testes admittantur, ut sic facilius delictum puniri possit, & extirpari, ex quo argumento necessario concluditur delicta in edicto contenta esse Inquisitoribus denuntianda, licet illa fuissent audita ex ore hominum infimæ conditionis & famæ. Vnde ex his apparet esse reprobandum Homobonum de Bonis in consil. mor. tom. 1. part. 4. respons. 51. non solum quia asserit, non teneri quem denunciare Confessarium sollicitantem, si audivit à non fide dignis, sed multo magis est reprehendus, quia asserit, ad denunciationem faciendam non teneri nisi fœminam sollicitatam. Sed tu contrarium tene cum Fagundez loc. cit. & ita observat praxis S. Officij: tenetur igitur non solum fœmina sollicitata denunciare Confessarium, sed etiam alij qui hoc audierunt saltem à fide dignis.

RESOL. LXX.

An Confessarius sit denunciandus, qui concubinam in confessione de zelotypia arguit? Ex part. 4. tract. 5. Refol. 43.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Io. Sancius in selectis disp. 11. num. 32. ubi sic ait: Sub penis Brevis comprehendit arbitror Confessarium lascivè objurgantem suam concubinam, Hispanè si la pidiese zelos lascivos, nam talis actio maxime provocativa est ad lasciviam, vel ad minus est signum ostendens lascivum amorem, zelosum enim aliquem se ostendere, non est aliud, quam penitentis signa ostendere, quod alius, & non ipse solus particeps sit lascivi amoris fœminæ, & idem est ac si tunc diceret Confessarius: Pœniter me quoddam causam discontinuandi nostrum affectum & amorem afferas; quod magis verum est jam ex decreto Gregorij X V. prohibentis in confessione illicitos tractatus, sive sermones haberi. Ita ille.

2. Sed adversus illum novissimè acriter insurgit Seraphinus Freitas in novis addit. de Confess. sollicit. quest. 9. num. 11. quia codex rarus est, ponam ejus verba per extensum, sic itaque asserit. Casus à Sancio propositus fictitius mihi est, nam aut concubina ad

Sacramenti fontem pro errorum expiatione penitens accedit, aut animo à peccatis non discedendi concurrente Confessoris mala fide: in secundo casu non est Sacramentum, & Confessor in ea specie sollicitans non incidit, ut ipse Sancius fatetur d. disp. 11. num. 39. & nos cum Illustrissimo infra quest. 14. quod ego intelligo etiam stante Gregoriana Bulla contra eundem Sancium d. disp. 11. num. 40. quia tunc ex Gregoriano edicto Confessor incurrit, quando intervenit sollicitatio ad circumstantium illusionem, quæ in nostra specie inter ipsos excogitari non potest, nisi ad arbitrium. In primo vero casu falsa propositio mihi videtur, supponimus enim fœminam peccata luxuriæ cum uxoris & aliis confessam (alias enim si ea occultat cum Confessoris scientia, locum habet præcedens casus) reprehendit & objurgat vehementer fœminæ lasciviam & peccata audita Confessor, in hac hypothese, si Confessor zelotypia ducatur, pendet ab animo hæc intentio, quam si penetrat concubina, ut supponit Sancius illis verbis, signum est, &c. jam directè & principaliter non agitur de sollicitatione verbis non expressa, sed mente retenta, & tunc auctore Sancio sistitur fœmina apud Inquisitores denuntians Confessorem tanquam hæreticum, aut de hæresi suspectum, quia eam de peccatis carnis cum aliis reprehendit in confessione. Itaque absurdum & hæreticum mihi videtur firmare, quod idem est sollicitare ad peccatum carnis, & reprehendere in genere (& præcisè stando in terminis tantum reprehensionis peccati in genere) peccatum luxuriæ cum aliis, si Confessor eam de similibus objurgat: quia signum est, ait Sancius, ac si dicat Confessor, Pœniter me quoddam causam disensionis nostri amoris offeras, quoniam cum aliis distraheris in similibus lasciviis; hæc igitur cautè legenda, & seriò cavenda puto. Tunc autem forsitan opinio Sancij locum habere potest, si objurgatio progrediatur ultra peccati reprehensionem, minetur Confessor concubinæ si deinceps cum rivali nominato confabuletur, illius domum intrat, vel interveniat aliud ex iis, quæ subintelligit & exponit Sancius, nam stando in terminis reprehensi tantum peccati, tamen si Confessarij intentio in zelotypiam dirigatur, non subiacebit Brevis edicto, præcipuè, quia objurgatio lascivæ ex zelotypiæ vitio supponit fœminam incorruptam & impenitentem, qui casus vix considerari potest in hypothese à Sancio proposita & Sacramenti administratione; quid enim opus est reprehendi lascivæ concubinam in confessione qua cum consuetudine perpetua vivit Confessarius, ut supponit Sancius. Et hæc omnia docet Freitas ubi sup. at his non obstantibus sententiam Sancij sequitur novissimè Fagundez in 2. editione de præcep. Eccles. pr. 2. lib. 4. c. 3. n. 63.

RESOL. LXXI.

An Confessarius sollicitans fœminam non ad turpia, sed ad alia peccata sit denunciandus, v. g. sortilegium, &c.
Et quid, si Confessarius tanquam leno urgeret fœminam in confessione, ut cum aliquo peccaret, vel prostituere sibi filiam, &c. Ex p. 1. tr. 4 Ref. 20.

§. 1. **V**idetur prima facie respondendum affirmativè: nam Gregor. X V. prohibet Confessariis, ut non habeant cum penitentibus in Confessione, non solum sermones inhonestos, sed etiam illicitos: sed Confessarius sollicitans penitentem ad aliquod peccatum, licet non carnale, habet cum illa sermones illicitos: ergo erit denunciandus. Et ante hanc Constitutionem,

Sup. hoc in Ref. seq. & inf. in Ref. 77. §. 1. cur. sim in fin.